DE SUPERFETATIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN...

Giovanni Francesco Berti

DE

SUPERFETATIONE

Dissertatio Inauguralis

QUAM

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM

RITE ADSEQUENDAM

HABUIT

JOANNES FRANCISCUS BERTI

TYROLENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVII.

PHILIPPO · MARAI

VIRO

MEDICIS · IN · REBVS · PRAXIQVE · LONGAEVA

PRAESTANTISSIMO

NVLLI

PIETATE · BENEVOLENTIA

AEGROS · IN · PAVPERES · CVRA · SEDVLITATE

PRVDENTIA · MANSVETVDINE

SECVNDO

HASCE · TENVES · LABORVM · SVORVM · PRIMITIAS

IN

ANIMI · DEVINCTI · PIGNVS

PIA · VENERATIONIS · MENTE

SACRAS · VVLT

AMANTISSIMVS · NEPOS

Inter physiologiae et medicinae legalis cultores agitata diu fuit vigetque adhuc quaestio, utrum mulier jam gravida fetumque gerens iterum novo accedente coitu fecundari possit, nec ne. Auctores hac de re disserentes in contraria scinduntur studia; alii enim hoc fieri posse nequaquam autumarunt; alii et ratiocinio et observationibus suffulti multum luminis huic quaestioni attulerunt, probaruntque superfetationem contingere posse. Sunt et qui eam frequentissimam dicunt, et qui nonnisi sub determinatis quibusdam rerum conditionibus admittunt.

Est haec sane res scrutinio dignissima, tum quia tanta litis dijudicatio ad physiologicas spectat subtilissimas disciplinas, tum quia quaestiones suppeditat medico-legales, quarum solutio in feminarum famam honestatemque, nec non in earum ac infantium jura eminenter influit. Hoc interim mihi in praesentiarum (quod in more est) ad medicam lauream rite adsequendam disce-

ptanti in animo est, ut quid de gravissima hac re sentiendum sit, brevi sermone complectar.

Discrepantes inter se reperiuntur scriptores, quoties superfetationis definitionem tradunt. Definit Foesius: » Quando concepto fetu, alter »praepostere conceptus est ». Joannes Garraeus explicat quod sit fetus alter gravida jam muliere conceptus. Juxta Laurentium superfetatio nihil aliud est quam secunda conceptio, cum gravida jam mulier iterum cum viro coiens concipit, quasi sit nova quaedam supra jam conceptum puellum fetatio. Ita definit Sennertus: » Quando diversis congressibus plures fetus concipiuntur ». Saxonia sic rem expedit: Superfetatio aliud nihil est quam secunda quaedam conceptio post primam facta. Haec vero minus arridet, siquidem secunda conceptio fieri potest primo in lucem edito fetu. Celonius sic loquitur: » Superfetatio aliud non est, nisi tardior evolutio atque »augmentum cujusdam embryonis qui pariter »cum primo jam conceptus erat, et variis de causis in sua naturali evolutione retardatus est; »hinc partus secundarius potius dici potest, quam »superfetatus ». Nos superfetationem definimus quod sit conceptio supra conceptionem facta, quae nempe in femina jam gravida oritur ex novo, durante graviditate priori, admisso coitu, ut adeo uterus fetus duos distinctae aetatis in se

complectatur. Hoc Valverdae et Muralt minus arridet; sed dicunt uno coitu duo ovula impraegnari, maturum alterum, quod mox per tubas in uterum descendit, alterum immaturum, quod serius in matricem defertur.

Factu enim possibile credimus, ut, quemadmodum uno eodemque concubitu duo aut plura ovula fecundari possunt, ita etiam fecundentur separatis congressibus, atque inter se parum distantibus, cum observatores diligentissimi demonstraverint os uteri nequaquam sub primis praesertim gestationis mensibus ita occludi, ut virili semini aditus denegetur.

Fluit inde discrimen, quod gemellum a superfetato fetu distinguit. Gemelli enim eodem tempore eodemque coitu superfetati concubitu distincto et separatis temporibus absoluto concipiuntur.

Ut igitur superfetatio locum habeat, requiritur: ut femina jam sit gravida, fetumque in utero gerat: atque accedente novo coitu, nova et secunda fetus conceptio eveniat. Hisce adsertis arrident Hebenstreit, Plouquet, Ludwig, Roose, Schmidtmüller, Klose, Haller sexcentique alii.

An superfetatio in femina humana sit possibilis jamdudum disceptatum erat, atque sub judice lis est. Negat superfetationem Augustinus, qui absque dubio clamat phaenomenon hoc impossi-

bile esse. Blasius asserere minime dubitat nihil tam rarum, quam vera superfetatio, quam neque unquam vidit, neque possibilem judicat. Valverda pariter superfetationem risu excepit.

Scriptores isti ad rem hanc defendendam vulgatissimum illud argumentum ex Hippocrate adducunt: »Quaecumque utero gestant, his os uterorum clausum est, ut ne tenuissimi stili mucronem admittat«. Insuper cum Galeno dicunt, nihil in rerum natura esse admirabilius, quam quod novem perpetuis mensibus perfecte os uteri clauditur, perfecto autem fetu usque adeo distenditur, ut totum animal per ipsum egredi possit. Galenus itaque superfetationem aut non cognovit, aut si novit, illam non concessisse visus est. Blumenbach asserit absque summo fetus detrimento os uteri aperiri non posse, atque hinc impossibile esse, ut uno edito, alter superfetatus in tanto naturae conamine non simul ejiciatur.

Sperlingius e contra propriis innixus observationibus os uteri gravidarum non semper omnino clausum invenit: et Stein pariter concedit in feminis, quae jam pepererunt, os uteri non claudi. Et re quidem vera nonnullae feminae reperiuntur, quibus humoris serosi, mucosi effluxus quandoque ex utero promanat: et quaedam, quae per primos tres menses vel et integrum gravidi-

tatis tempus utero purgantur, in quibus igitur uterus nequaquam clausus esse potest.

Hebenstreit atque Metzger insuper adducunt mulierem gravidam semen suum, quod non minus, quam viri semen desideratur ad conceptionem, ejaculari per vas desinens ad extremum interni oris, quod quidem semen hac de causa dispergitur in uteri collum, minime vero in fundum, quae conditio ad superfetationem requireretur. Addunt quod uterus arcte et sollicite in sua cavitate complectatur, ut nullum pro nova conceptione spatium relinquatur. Hinc Mauriceau dicit: hanc ob causam libentius credo superfetationem numquam fieri posse; uterus enim semper stricte ea omnia complectitur, quae continet, nec ullum in sua cavitate vacuum relinquit: defendit praeterea, etsi os uteri in gravidis apertum concedatur, illud tamen et tubarum ostia a secundinis occlusa adeo sunt, ut semen in uterum introire nullatenus possit.

Tandem inferunt, quod tubae falloppianae primam post conceptionem ita retrahuntur, ut nisi post partum ad pristinum statum reducantur, atque ideo vera superfetatio locum habere nullo modo potest.

Omnes hi superfetationem rationibus ut ita dicam mechanicis impugnare tendunt, quae uberius infra refutantur. Recentiores nostrae aetatis

medici rationibus potius dynamicis eam adgrediuntur. Ita Roose et Klose argumentantur. Uterus non gravidus a pubertate ad sterilitatem usque talem habet formam, mixtionem viriumque informationem, ut propriam inde necessariamque pro spermate virili receptivitatem possideat. Accedente hac per sperma virile irritatione, phaenomena certa in utero tubis falloppianis ovariisque contingunt, quibus graviditas inchoat. Haec phaenomena et mutationes per integrum graviditatis tempus rato quodam nec dum satis cognito ordine se se excipiunt, ita ut etiam sub conceptione extrauterina nihilominus membrana Hunteri decidua in utero efformetur. His mutationibus evenit, ut pro spermate virili uteri gravidi receptivitas toto caelo mutetur: qua de causa dici jure meritoque potest uterum non praegnantem per conceptionem in aliud quasi organon, uterum scilicet gravidum converti, alia forma, mixtione viribusque aliis instructum, qui muneribus uteri non gravidi fungi minime potest.

Ingeniosa atque acuta haec argumentandi ratio et habetur et est; formam enim, mixtionem, atque inde virium statum mutari inficias ire non possum; sed quae ex his praemissis oritur illatio, plura continet, quam vere ex illis deduci possunt. Omnia enim graviditatis phaenomena vi-

tam elatam in gravida sub dio ponunt, quae tum per vegetationem rapidiorem, tum per altiorem incitationem manifestatur. Hic igitur vitae status per adauctam virium vitalium quantitatem palam fit, nec tantopere de mutata qualitate participat id quod vel maxime per constantissimam fetus efformationem luculenter probatur. Vitae vero elationem cum receptivitate pro stimulis et in illos reactione pari passu procedere et recedere, nemo est qui non intelligat. Inde etiam facili negotio explicari potest cur gravidae quaedam coitum tantopere adpetant. An non sub ipso fluxu menstruo aut eodem instante ipsissima contingit vitae elatio, quae in gravidis adest, ut igitur facilis sit ex aucta organorum incitatione totum per organismum transitus? Mihi igitur patet cur sub magna hac in gravidis incitatione pro spermate virili cesset receptivitas, nisi alia necdum satis cognita subesset ratio, cur phaenomenon, de quo hic sermo est, non saepius contingat. Cum membrana narium mucosa catarrho adfecta quae consuetis non excitatur odoribus comparatio nihil probat, siquidem morbum sistit: nemini vero unquam subvenit inter morbos graviditatem referre. Hinc prolata argumenta non sufficiunt pro superfetatione deneganda, minusque adhuc tutissimis observationibus subvertendis.

Recentiores medici superfetationem non nisi sub certis perraris rerum conditionibus admittunt.

Superfetationem concedunt in utero duplici aut biloculari. Metzger vero et in hoc casu eam negat, quia singulus uteri loculus perparvus est, quam et sub duplici simul vagina ob nimiam partium angustiam admittere non posset. Sed risu sane digna haec argumentandi ratio et videtur et est. Quid si conciperentur gemini, an majus invenirent spatium in utero simplici, quam si eadem cavitas in duobus loculis esset tenui divisa sepimento? Concedo equidem, fetum priorem, ubi adolescit sepimentum, versus vacuum adhuc spatium magis agere, sed ideo non concrescunt parietes, ut loculus penitus tollatur. Cur igitur tenuissimum novi embryonis primordium locum non inveniret, ut gemini in perexigua pariter uteri virginei cavitate? Alteram demum rationem circa vaginam duplicem falsam esse, atque feminas nihilominus coire et concipere posse, experientia probatur. Pulcherrimum apud Osiander exemplum depromi potest.

Roose et Wildberg superfetationem admittunt sub conceptione extrauterina ubi fetus mortuus in abdomine haereat. At quantum Roose sententia sibi ipsi adversatur, inde patet. Etenim dicit, emortuo in utero fetu priori, graviditatem

cessare; ergo tanto magis cessat emortuus, cum stet fetus in abdomine. Interrogo insuper, qua ratione fiat superfetatio absque praegressa graviditate? Superfetatio haec et habetur et est, quam nonnulli spuriam dicunt.

Denique nonnulli superfetationem in utero simplici, regulari, sed primis statim post priorem conceptionem diebus concedunt. Teichmayer prioribus hebdomadis, ubi prior fetus admodum exiguus est, superfetationem promptius faciliusque fieri posse contendit.

Cum vero pro unaquaque parte stent quidem gravissimi, et eruditione, doctrina ingenioque praestantissimi scriptores, theoricas potius rationes quam experientiam consulentes: necesse itaque censeo ad hanc confugere quae tanto in rerum discrimine litem solummodo componere potest. Argumenta quibus superfetatio confirmatur, sequentia haberi possunt:

I. Analogia cum mammalibus, in quibus absque dubio superfetatio locum habet.

II. Exempla, ubi, emortuo vel in lapidem mutato fetu in utero nidulante, superfetatio contingit.

III. Observationes partuum uno tempore enatorum, vel post aliquot dies sibi succedentium, fetibus inaequaliter evolutis.

IV. Observationes, ubi inter partus utriusque fetus insigne intercessit temporis spatium.

V. Casus ubi feminae infantes diverso cutis colore praeditos una eademque vice pepererunt.

VI. Exempla uteri duplici cavitate donati, in quo pariter superfetatio haberi potest, ut in nonnullis animalibus.

Superfetationem in animalibus contingere plura extant exempla apud Zacchiam, Welschium aliosque. Seneca hanc rem earum in numerum refert quae difficillime explicantur. Et Roose hanc analogiam tute admittendam esse negat, cum haec animalia quae ad rem probandam adducuntur, utero duplici gaudeant. Ast observationes referuntur, et perplura prostant exempla, animalia etiam cum utero simplici fuisse superfetata, ut constat de equa, quae hinnulum et mulum uno eodemque partu in lucem edidit.

Experientia feminas mortuum aut in lapidem paene dixerim mutatum fetum in utero gerentes fuisse superfetatas, multis probatur exemplis. Hujusmodi casus Albucasis, Teichmayer, Scheakius protulerunt. Bonetti narrat quod post primum partum ex orta in sinistro abdominis latere exulceratione fetus ossa secesserint. Hallerus certissimum est, inquit, et innumerabilibus exemplis confirmatum, et animalia et feminas concepisse et peperisse, dum conceptum priorem mortuum, etiam lapideum in utero mater retinebat. Nunc si femina potest concipere, cujus uterus

fetu osseo aut marcido impeditur, sano cum utero pro certo facilius alia concipiet. Hinc Hallerus huic argumento quam maxime confidit. Hoc vero argumentum de superfetatione nil nisi parum potest evincere. Nam certe Roose objicit quod emortuo fetu cesset omnino graviditas, qua cessante non datur superfetatio. Hujus ergo sub dio ponitur futilitas oppositionis qua phaenomenon hoc denegatur, eo quod uterus dum gravidus sit, proprio in spatio ita intercludatur, ut alius fetus evolutionem denegare necessario debeat.

Fetus inaequales vel uno eodemque tempore, vel paucorum dierum intervallo in lucem editos fuisse, compluribus comprobatur exemplis. Dodonaeus de fetu refert perfecto et plures post horas quadrimestri excluso; Jansonius alium post quinque dies enatum narrat; inter septem dies expectatum Laurentius; et die decima septima exclusum Welschius habet. Volunt alii eos tamquam geminos, alii ut superfetatos nasci. Ita Valverda, ex geminis unum in incremento retineri posse, dicit, unde pariente muliere debilior hic fetus in utero remanet, usque dum perfectionem completam adipiscatur: illustrat hoc per spicas ex grano uno pullulantes, quarum una saepe citius, serius altera maturescit. Exemplum hoc Zacchiae minus arridet, qui geminos ali-

quando variare circa ortum asserit, ut unus post octo aut decem dies vel adhuc serius nascatur, quo in casu caveat medicus aut chirurgus ne geminos pro superfetatis accipiat declaretque. Haec revera superfetationis doctrina difficultatibus quam maximis premitur, dum gemini aliquando per partum excludi solent, qui pro fetu distinctis temporibus concepto declarari possent, dum unus embryo ex geminis debilior atque imperfectior remansit. Nihil porro huic argumento confidit Hallerus. Sic enim de hac re loquitur: »Cum certum sit posse unum gemellorum »mori, dum alter vitalis superest, posse etiam a »pharmacis alterum fetum abigi, dum alter su»perest, et post mortuum fetum, vivum die »quarta nasci, satis adparet fetum alterum in »utero aut periisse, aut certo languisse oppres»sum a fortiori alterius incremento, aut ob aliam »causam in propria fabrica nutritioni adversam »fetus inaequales reddi, etsi simul concepti sint». Extendit vero Hallerus tempus intermedium, quod nihil probat, a prima ad decimam septimam diem: qua de re argumentum hoc pro superfetatione nihil pugnat.

Majoris momenti pro superfetatione demonstranda observationes illae haberi debent, ubi alter, post fetum alterum insigni intercedente tempore nascebatur. Francus refert de femina

quadam quae fetum vivum sanumque, dein post quatuor hebdomadas alium mortuum edidit. Blancard enarrat cujusdam mulieris historiam, quae binos peperit infantes, quorum secundus post sex hebdomadas a primo partu ortum habuit. Nicolus se novisse asserit feminam quamdam quae masculum peperit, atque hinc ad tres menses alium, amboque bene vixerunt. Diemerbroeck superfetationem refert, ubi quinquaginta dies intercesserunt, fetusque ambo bene vitales erant, atque ad debitam corporis magnitudinem jam pervenerant. Paraeda exemplum habet, ubi quarto mense et ultra facta superfetatio reperiri possit. Miranda hujus phaenomeni observatio depromitur in Schenkio, ubi quatuor vel quinque menses interfuerunt. Bartholinus casum exponit, ubi tempus inter partus vitales et bene valentes erat a die trigesima prima Julii usque ad nonam Februarii. Hujusmodi exempla notatu dignissima recentiores medici Muton et Huffeland collegerunt.

Inter hasce observationes ea interest differentia, ut 1.° vel fetus unus vitalis, alter mortuus; 2.° vel alter perfecte maturus, immaturus alter; 3.° vel ambo vitales perfecti et bene valentes nascerentur. Quando fetus unus vitalis, alter mortuus et quidem imperfectus extruditur, de superfetatione dubium judicium ferri debere ne-

mo est qui non percipiat. Tum enim tamquam gemelli haberi possunt, et alter a fortiori alterius incremento oppressus, ubi mortuus commorationem per longius tempus putredine patefaciet, dum alter ad suimetipsius perfectionem adhuc retinetur. Si vero prius mortuus, perfectus et bene evolutus, ac demum post unum alterumve mensem excluderetur vitalis perfectus, testari de superfetatione potest; siquidem nulla sit ratio, cur, si gemelli essent, mortuus inter brevius tempus idem ceperit incrementum ad quod alter tantum post menses pervenit, et cur mortuus perfectus oppressus fuerit ab altero debiliori? Quando vero fetus alter perfecte maturus, immaturus alter emittitur, sive hic praecesserit, sive sit in nascendo maturum sequutus, hoc pro certo nihil probat; dubitationem vero omnino auferunt ambo fetus vitales perfecti et bene valentes. Egregie hinc scripsit Hallerus: „Neque enim verosimile est si simul concepti „fuissent, posse alterum intra sex menses idem „incrementum cepisse, quod alter nono pri„mum mense attingit; siquidem alia morbosa „signa in tardius evoluto observarentur.

Alberti dicit nullum interim certius superfetationis signum dari, quam si separato tempore partubusque distinctis fetus bene evoluti maturique excludantur, videlicet, si hac hebdomada

prior partus, altera vel tertia etc., alter locum habet. Perbelle exprimit Fahner se libentius concessurum superfetationem, quam dein in angustias agi quatuordecimestres, aut quindecimestres fetus concedere, quod fieri deberet, si post partum legitimum maturumque quatuor aut quinque post mensibus denuo partus accideret. Hinc injuria a Klose et Roose fides historica impugnatur; siquidem qui omnes, quotquot sunt, hujusmodi casus vel ad fraudem vel deceptionem reducere conantur: Ast oleum operamque perdunt. Adest enim testium numerus, inter quos, licet unus fuisset alterve credulus nimis forsan quam par esset, cunctos tamen in eundem censum referre summum haberetur nefas. Num Bartholinum, Diemerbroeckium, Bauhinum, Schenckium, Zacchiam, Hallerum etc., viros expertissimos, doctrina scriptisque clarissimos vel deceptos fuisse, vel aliis fucum imponere voluisse asseres? Stat ergo stabitque inconcussa fides historica, atque inde superfetatio refelli minime potest.

Si quis adhuc de superfetatione dubium movet, is, quaeso, perlegat casus apud recentiores praesertim auctores, inque ipso naturae pictore fidelissimo et accuratissimo Buffon, ubi gravida vel simul, vel intercedente quodam temporis spatio infantes stirpis diversae, europaeum nempe

et nigritam peperit, quin tamen duplex adesset uterus, placentae enim concretae observabantur; quod fieri nullo modo posset, si uterus duplex fuisset. Narrat Gorn casum ubi femina post concubitum cum Europaeo et dein Aethiope infantem europaeum et mox alium colore subnigro praeditum est enixa. Juxta Delmas observationem femina octavo graviditatis mense binos infantes, alterum europaeum, mulattum alterum peperit, quae cum nigrita quarto vel quinto graviditatis mense se concubuisse asseruit. William, Dewees pariter casum refert ubi famula europaea quaedam geminos in lucem edidit, unum europaeum, alterum colore donatum nigricante. Observationes hae certissimum pro superfetatione praebent argumentum. Longa enim constat experientia atque naturae lege, non nisi ex commixtione hominum diversae stirpis, mixtos prodire homines, quos nomine mulatti insignimus, qui igitur ex iterato cum diversae stirpis hominibus coitu generari atque hinc superfetari debuerunt.

Sed jam supra monuimus quamplures fuisse, qui in duplici utero tantum superfetationem admiserunt. De utero bicorni et duplici non est cur observationes referamus, cum nullus ferme sit in anatomicis vel leviter versatus, qui hoc naturae phaenomenon propriis ut ita dicam non

inspexerit oculis, quique classica plane ignoret opera Halleri, Morgagnii, Riolani, Malacarne, aliorumque et recentiorum et veterum medicae rei scriptorum.

Triplici autem modo naturam praecipue ludere circa uteri formationem ex autopsiis habemus. Vel enim unus adest uterus cum simplici osculo et vagina, cavitas vero uteri sepimento quodam bipartitur (*uterus bifidus*); vel corpus uteri in duas separatas partes est divisum cum simplici tamen osculo et vagina (*uterus bicornis*); vel duo adsunt uteri cum separatis osculis et vaginis (*uterus duplex*).

In his uteri efformationibus ne superfetationis quidem oppositores phaenomenon hoc fieri posse negant, quod tamen et hoc in casu Metzger, ut supra exposui, non admittit. Utrum vero hisce in casibus superfetatio jam acciderit, nusquam adhuc prostant observationes. Interim, si sperma virile uteri cornu unum ingressum est, ovulumque impraegnaverit, istud utero nectitur. Si modo post aliquot dies aut hebdomadas novus celebratur coitus fecundus, cur non idem circa alterum uteri cornu vacuum fieri possit, non video, praesertim si unicuique cornu osculum, tuba ac ovarium respondeant.

Verum si ex allatis de superfetationis possibilitate nullus subest dubitandi locus, non item

dicendum de tempore, quo superfetatio contingere potest. Multum enimvero scrutabantur auctores ad quod usque tempus phaenomenon hoc eveniat. Multi juxta Hippocratis sententiam terminum intra quadraginta dies assumunt. Aristoteles superfetationem post tres, quatuor dies, sed et post hebdomadas et menses concedit. Peraeda casum refert ubi quinque menses intercedebant. Mauriceau et Sperling non nisi intra triginta dies defendunt. Laurentius, Saxonia, Bauhinus, Schenkius, Avicenna etiam post duos vel tres menses admittunt superfetationem. Bartholinus casus quam plurimos collegit ubi tempus multum differre videbatur; inter ceteros unum refert, ubi sex menses et novem dies intercesserunt. Teichmayer prioribus hebdomadis, ubi prior fetus admodum exiguus est, superfetationem promptius faciliusque fieri posse contendit. Walther et Wildberg non nisi primis diebus, ubi ovulum fecundatum ad uterum delatum nondum est, phaenomenon hoc possibile existimant. Hallerus hac de re sic loquitur: » Os » uteri nunquam clausum est, ideoque potest su» perfetari non solum a die sexta ad trigesimam » aut primis duobus mensibus, sed omni tem» pore ». Weber absque haesitatione terminum hunc ad septem menses extendit. Observatio a Delmas prolata ostendit feminam, juxta ipsius

assertum, quarto vel quinto mense superfetasse. Summi momenti habendum esse existimo exemplum quod Huffeland communicat, ubi sub initio octavi mensis graviditatis, secundo scilicet die, infans nascebatur sine accedentibus puerperii signis, praeter sanguinis fluxum a soluta placenta, et post quinque demum menses et dimidium excludebatur puella sana et perfecta, quo partu absoluto cuncta normaliter processerunt. Femina haec dein saepius gravida adcurate observabatur, et obstetricator semel coactus placentam solvere ac extus trahere, nihil morbosi in uteri cavitate invenit, ut adeo de utero duplici cogitandum non sit.

Quemadmodum vero allatae a scriptoribus observationes inter se admodum variant, ut a primo conceptionis tempore ad mensem usque septimum et ultra extendatur tempus ad superfetationem opportunius; ita terminum superfetationis certo definiri non posse luculentissime patet. Hoc tamen concludi posse videtur, superfetationem primis diebus, aut hebdomadis saepius faciliusque contingere; usque ad finem quarti, immo juxta Barholinum ultra finem sexti mensis est demonstrata, ultra hoc tempus minus verosimilis et videtur et est.

Portentosae narrationes, quas apud Albertum, Guicciardum, Paraeum aliosque videre est, mu-

lierum quae uno partu centum et ultra, quin immo, ut refert Paraeus tercentum sexaginta quinque enixae sunt partim pueros, partim puellas, novae quaestioni ansam praestiterunt, num femina jam superfetata denuo sub graviditate coiens concipere possit, ut adeo tres fetus diversae aetatis in utero contineantur. Nil dicam de fabulosis illis historiis, moneoque tantum in femina saltem humana, quae raro trimellos concipit, et rarissime semel superfetat, iteratae superfetationis exempla nec dum haberi.

Accersitus interim a judice medicus, ut de superfetatione judicium ferre possit, quod neque mulieris famam honestatemque neque infantium jura laedat, pede incedat cautissimo oportet, primumque observet utrum superfetatio certa vel ambigua sit. Ad incertas referri jam patet eas, in quibus aut prius infans immaturus nascitur, et post aliquod insigne temporis spatium alter puellus excluditur, aut unus infans perfectus, alter vero exilis admodum atque imperfectus oritur: dubium enim est an gemini illi fetus uno eodemque tempore an diverso sint concepti.

Si vero mulier jam gravida iterum viro comprimatur, concipiat et fecundetur, hoc peculiare et summopere attendendum habet: 1.° nempe post primos ab infantulo primum concepto motus versus dimidium circiter graviditatis natura-

lis tempus excitatos, novos revera motus infantiles in utero percipit; 2.° filiolum maturum perfectumque jam enixa et puerperio absoluto, post mensem et ultra a primo partu alium emittit, et quidem maturum atque perfectum, novo superveniente puerperio. Hinc Teichmayer ad superfetationem omnibus numeris confirmandam tria haec requiri scripserat: 1.° nova gravidae mulieris probata conceptio; 2.° ut quoddam tempus notatu dignum inter utriusque partus intercedat; 3.° ut fetus unus et alter perfectus sit et ad maturitatem perductus. Si haec omnia simul conveniant, de superfetatione vera judicium proferre datum quidem est medico: ad legitimitatem autem superfetati infantuli sanciendam exacto calculo subjiciat oportet tempus, quo eundem conceptum fuisse censeri quadam verisimilitudine potest.

Caveat postremo, ne superfetatos eos declaret, qui et minoris sunt magnitudinis minorisque ponderis, atque minus perfectam praeseferunt evolutionem si cum iis comparentur, qui jam alias parturiebantur, vel cum illo, qui simul in utero continebatur; plura enim sunt, quae alterius gemellorum incrementum impediunt retardantque.

Fateri interim fas est generationis arcana obscura adhuc nostrisque oculis abscondita esse

tenebrisque densissimis involuta; egregie hinc Hallerus de generatione discussurus ajebat: »Dif» ficillimum aggredior laborem, et exitum vix » promitto, qui lectori satisfaciat. Primordia e» nim hominis ipsa natura nobis velat ».

THESES DEFENDENDAE

I.

Superfetatio rationibus theoreticis impugnari non potest.

II.

Si os uteri revera perfecte in gravida clauderetur, de superfetatione ne suspicandum quidem esset; ast cum revera os uteri in gravida non claudatur, hinc superfetatio possibilis evadit.

III.

Non datur venenum absolutum.

IV.

Ars concinnandi formulas medicas vere flos totius medicinae.

V.

Morbi uteri peculiari physiognomiae mutatione stipantur.

VI.

In morbis insanabilibus empirismus valdopere juvat.

VII.

Adfectio gastrica prae aliis complicationibus, ceteris paribus, febrim intermittentem sustinere valet.

VIII.

Helminthiasis in pueris diathesi scrophulosa laborantibus nonnisi sub perfectiore corporis evolutione radicitus sanari potest.

IX.

Mercurius in syphilide tumore aneurysmatico complicata caute adhibendus.

X.

Murias platini a Cullerier in syphilide curanda adhibitus ulterioribus experimentis indiget.

XI.

Mos crudelis ubera suis denegandi infantibus publica attentione summopere dignus.

XII.

Medicamentorum qualitates sensibus perceptibiles exactas non semper patefaciunt eorum therapeuticas proprietates.